

Salter. 1231.

Ed. tomo l. actorum Borussiae  
Imperator. Regiomoni. et Lips.  
99.

30  
Gregorius IX. Episcopus, servus  
servorum Dei dilectis filiis Ma-  
gistro et fratribus militie Christi  
in Prussia salutem et Apostolicam  
benedictionem. Justis petentium de-  
sideriis dignum est, nos facile pre-  
bere assensum, et vota, que a ratio-  
nis tramite non discordant effectu  
prosequente complere. Ea propter di-  
lecti in Domino filii, vestris justis  
postulationibus grato concurrentes assen-  
su, possessiones et alia bona, que vene-  
rabilis frater noster Episcopus Pruzien-  
sis et nobilis vir Conradus Dux Maso-  
vie et Cujavie, vobis pia liberalitate  
donarunt sicut eas juste ac pacifice  
possidetis, vobis et per vos ordini ve-  
stro auctoritate Apostolica confirma-  
mus, et presentis scripti patrocinio  
communitimus. Nulli ergo omnino ho-  
mini liceat hanc paginam nostre  
confirmationis infringere vel ei ausu  
temerario contraire. Si quis autem  
hoc attemptare presumpserit indi-  
gnationem omnipotentis Dei et  
beatorum Petri et Pauli apostolorum  
ejus se noverit incursum. Da-  
tum Anagninae v. Kalendas Septem-  
bris. Pontificatus nostri anno quay-  
to.

